



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti  
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica  
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],  
libri VII**

**Rupertus <Tuitensis>**

**[Köln], 1527**

**VD16 B 3703**

Capite nobis uulpes paruulas, quæ demoliuntur uineas. Nam uinea nostra  
floruit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34445**

RVP. IN CANT. CAN. CAP. II.  
decora? In eo uidelicet, quod magna est fides,  
magna est humilitas. Iste est decor quem concu-  
piuit rex; quemadmodum Psalmus dicit. Audi  
filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere  
populum tuum, & domum patris tui, & cō-  
cupiscet rex decorem tuum

Pfal. 44:

¶ Capite nobis uulpes paruulas, quæ de-  
moliuntur uineas. Nam uinea nostra flo-  
ruit.

Math. 2.

¶ Uulpes Herodes, uulpeculæ siue uulpes paru-  
ulæ illius temporis: omnes qui querebant ani-  
mam pueri. Vnde & de quodam ex posteris eius-  
dem nominis, cum nunciatum fuisset a pharisæ-  
is dicentibus, exi & uade hinc, quia Herodes uult  
te occidere: ite (inquit) dicite uulpi illi. Ecce eji-  
cio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras,  
& tertia die consumor. Ergo uulpes Herodes,  
maxime quia non solum crudelis, uerum etiam  
dolosus ille, qui dixit. Ite & interrogate diligen-  
ter de puero, & cum inueneritis, renunciate mi-  
hi, ut & ego ueniens adorem eum. Fuisse tunc  
iam cum eo etiam alios eiusdem dolositatis, uel  
ex eo constat, quod angelus ad Ioseph ita dixit,  
Surge & accipe puerum & matrem eius, & ua-  
de in terram Israel, defuncti sunt enim qui qua-  
rebant animam pueri: Igitur uulpes paru-  
ulas, quæ demoliuntur uineas, capite nobis in-  
quit, id est, occidantur cito, moriantur & dispe-  
reant qui quæruunt animam pueri. Nonne uide-  
tis paruulas uulpes istas, quomodo demoliuntur  
uineas? Herodes enim non cessat occidere fere  
omnes, qui erant regię stirpis, non cessat pscrui-

Luc. 13  
Ibidem

Pfal. 49

II.   
ides,   
oncu   
Audf   
huif   
& cō   
e de-   
a flo-   
par-   
t ani-   
s eiu   
arifā   
s uult   
ce eij-   
cras,   
odes,   
triam   
igen-   
e mi-   
tunc   
s, uel   
dixit,   
& ua   
i quā   
es p-   
bis in   
dispe   
uide-   
iūtur   
e fere   
scrū-

COMMENTARIO. LIB. II. Fo. 33.

tari, ut funditus deleat domum David, de qua re-  
gem Christum nasciturū fore audiuit. Nonne ui-  
detis ad ultimū quod teneros palmites fera ista  
momordit, quod infantes bestia crudelis occidit  
i Bethleem Iudæ ciuitate David? Capite capite:  
nam uinea nostra floruit. ¶ Uinea illa quæ nra  
est, uinea uel uitis, uinea propter quam cæteras  
demolūtur uineas, inter quas ista lic latuit, quæ  
admodum uirga una gracilis in magna sylua la-  
tere solet ob paruitatem sui, uinea (inquā) nostra  
hæc floruit. Fructus eius ad huc flos, & non bot-  
rus est, nondum maturuit, & ideo dānosum  
nimis est, huiusmodi uineam uel florē eius succi-  
di uel demoliri. Crescat prius, & de flore proue-  
niat fructus, condatur euangelium, & cognosca-  
tur de signis & uirtutibus, uenisse sanctum san-  
ctorū, atq; hoc erit, florem uenisse in fructum &  
maturuisse botrum. ¶ Tunc, si fuerit succisus  
huiusmodi botrus, custodiatur, atq; in uecte cru-  
cis portetur, ut experimēto resurrectionis & dul-  
cedinis eius cognoscatur, qualis terra, quale sit  
regnum eius, ad quod non pertinent uulpeculæ  
istæ quæ uineas demoliuntur. Sicut olim duo ui-  
ri de exploratoribus, quos misit Moyses ad ex-  
plorandam terram promissionis, palmitem cū  
uua sua deportauerunt in uecte cum cæteris fru-  
gibus terræ dicentes: Venimus in terrā, ad quā  
misi nos, q̄ reuera fluit lacte & melle, ut ex his  
frugibus cognosci potest. Illius rei gestæ myste-  
rium obseruetur, & tã diu uinea nostra defendat-  
ur a uulpib. donec flos eius botrus fiat præma-  
turus, ex suo sapore cognoscendus & terræ uiuen-  
tium experimentum mundo præbiturus.

E

Vinea no-  
stra Chri-  
stus est.

Num. 13